

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

EVANGELIUM. JOANNIS I.

In illo tempore : Miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum : Tu quis es ? Et confessus est, et non negavit. Et confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum : Quid ergo ? Elias es tu ? Et dixit : Non sum. Propheta es tu ? Et respondit : Non. Dixerunt ergo ei : Quis es, ut responsum demus iis, qui miserunt nos ? Quid dicis de teipso ? Ait : Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta ? Respondit eis Joannes dicens : Ego baptizo in aqua ; medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis : ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

CONCIONES.

- I. *Hominis vilitas.*
- II. *De iis, quæ post mortem homini circa corpus eveniunt.*
- III. *Extremi judicii, et judicandorum manifestatio.*
- IV. *Perfectio Dei, et hominis imperfectio.*
- V. *Jactantia et laus propria culpatur.*
- VI. *Suavitas et facilitas confessionis sacramentalis.*
- VII. *Defectus confessionis.*
- VIII. *Stabiliuntur et exponuntur cæremonie baptismi.*

CONCIO I.

HOMINIS VILITAS.

- I. Homo advena est et peregrinus. — II. Hospes unius diei. — III. Fœnum fragile. — IV. Folium tremulum incertæ vitæ. — V. Umbra fugiens seu inconstans. — VI. Universa vanitas.

THEMA.

Tu quis es ? Joan. I.

Non immerito philosophi gentiles apud Delphos aureis litteris illam sententiam templo Appollinis inscribere, ejusque oraculo adscribere : *Nosce teipsum*. Hæc enim notitia talis est, ut vel sola sufficere queat homini ad beatitudinem consequendam. « Est, (inquit Clemens lib. III. pædag.) disciplinarum omnium pulcherrima ac maxima, seipsum nosse. » Et S. Bernardus in med. cap. V. « Stude cognoscere te, quia multo melior et laudabilior es si te cognoscis, quam si, te neglecto, cognosceres cursum siderum, vires herbarum, naturas hominum et animalium, et haberes omnium cælestium

- IX. *Documenta.*
- X. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTUARIÆ.

- I. *Quam sibi ipsi deplorandus sit peccator.*
- II. *Motiva contritionis, desumpta ex persona Christi offensa.*
- III. *Qui potissimum hostes in confessione debellandi.*
- IV. *Confessionis aliquot notabiles defectus.*
- V. *Varie pœnitentiæ variis defectibus obnoxie.*

et terrestrium scientiam. » Interim vero nihil minus sciunt, aut scire desiderant plerique, quam seipsos, quemadmodum Plato verissime dixit in Pseudolo : *In foro vix decimum quemque esse, qui seipsum novit*. Solum quærunt ex aliis : *Tu quis es ?* Mathematici e cælo, philosophi e natura, jurisconsulti ex lege, medici ex morbo, curiosi ex mundo, etc. Ita de Abailardo hæretico scribit S. Bernardus epist. CXCIII. « Abailardus nihil nescit omnium, quæ in cælo et quæ in terra sunt, præter seipsum. » Sed absit a nobis, ut tam cæci simus ! Quin potius mittamus legatos nostros, intellectum et sensus non ad alios, sed ad nos ipsos, et quæramus a nobis : *Tu quis es ?*

Ego vox : respondet S. Joannes. Ecquid aptius dicere potuisset ? Quid est enim vox ? Est aliquid fluens, quod de loco ad locum volat. Quid est vox ? Est quid momentaneum, quod subito perit. Quid est vox ? Est aliquid debile, quod facillime intercipitur. Quid est vox ? Est aliquid

vanum, quod nihili æstimatur, et in nihilum desinit. Quid est vox ? Est aliquid rude, quod significatione caret. Quid est vox ? Est aliquid instabile, quod paulatim imminuitur. Quid est vox ? Est aliquid cæcum, quod nescit quo vadat, et ubique impingit. Similiter se habet homo. Igitur.

I. Tu quis es ? Respondet sibi David, Ps. XXXVIII. *Advena ego sum apud te (Deum) et peregrinus sicut omnes patres mei*. Quo loco notat S. Chrysostomus magnum virum fuisse Davidem, qui cum regni gloria et opibus abundaret, peregrinum tamen se et advenam esse agnovit. Tantus igitur rex, a Deo tantum amatus et exaltatus, peregrinus in mundo fuit : qua ratione igitur nos cives esse putabimus ? Peregrini autem sumus, quia hinc discedimus alter post alterum, et de ætate in ætatem migramus. « Sicut omnes stellæ, inquit Idiota I. contemplet. c. V. quæ ab oriente veniunt, quamvis sint magnæ claritatis et virtutis, tendunt tamen ad occasum, et ibi secundum diversos circulos, aliæ tardius, aliæ ocuis sese a nostris aspectibus abscondunt ; sic etiam homines. » Videntur quidem nobis stare, et nequaquam moveri stellæ, cum tamen velocissime currant, omni sagitta citius, nulloque stent momento ; sic etiam dies hominis, quos S. Job c. IX. velociore sibi fuisse cursore queritur. Cursor enim quantumvis festinans, interdum quiescere cogitur : anni vero nostri nec ad punctum interquiescunt. Nam etiam cum per somnum quiescere volumus, non quiescimus, sed velut dormientes in navi abripimur ad mortem. Quod si igitur, mi homo, civis mundi non es, sed advena et peregrinus, quid tibi hic ædificas, ac si æternum mansurus esses ? Ad quid divitiarum cumuli ? Honorum aucupia ? Vestium apparatus ? Quid diceremus de illo viatore, qui cum sciat perpetuo sibi properandum, et ad patriam tendendum, domum interrim, silvas et agros in itinere coemeret ? An non potius consilium daremus, ut gemmas et margaritas, quas secum asportare posset, sibi compararet, quibus domi viveret ? Idcirco tam paterne monet nos Petrus I. Pet. II. *Charissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis*. Emamus potius merces, quas nobiscum ferre et de quibus in cælo vivere possumus, quæ sunt bona opera, pretiosæ margaritæ.

II. Tu quis es ? *Hospes unius diei*, respondet Salomon Sap. V. Idem responderunt antiqui Patres, teste Apostolo ad Heb. XI. *Confidentes se hospites esse super terram*. Idem et gentiles ; nam Cicero in Catone vitam hominis hospitio similem esse dicit. Nimirum, quia ut hospes primo die divertit, altero rursus discedit ; ita

et homo ad hospitium mundi veniens, hodie venit, cras recedit. Cum hospes alicubi divertit, statim interrogatur, quando iterum discedere velit : et famulus quær it, quahora matutina debeat ei equum insternere, lumen afferre, etc. similiter et homo vix natus, statim admonetur sui discessus, dum ei baptismo velut morituro lampas traditur in manus, quo nimirum admonetur, ut se admortem præparet, in qua cum prudentibus virginibus Christo obviare possit. Ad hæc in contractu matrimonii nonne mox formantur litteræ matrimoniales, in quibus ambo conjuges de morte sua disponunt, ut si alter prius decedat, alteri hoc vel illud relinquat ? Item si genuerint liberos, tunc senior succedat, eo mortuo secundus, hoc etiam et reliquis omnibus mortuis, fiat hoc vel illud, etc. Ecce nondum nati sunt liberi, et de morte eorum disponitur ! Vides igitur quis sis ? Hospes, inquam, et quidem unius diei. Sed quomodo hoc ostenditur ? Primo, quia plurimi sunt eorum, qui hodie sani, vegeti, læti cubitum eunt, cras ad sepulchrum efferuntur. Quot ego ejusmodi exempla, qui non multorum sum annorum, ipse vidi ? Quot ab aliis visa recensere possem ? Antepaucos annos novi juvenem insignem, qui eo ipso die et hora, quibus nuptias suas celebraturus erat, ad sepulchrum est elatus, cum jam plurimi invitatorum convenissent ad nuptias jam deducendas ; sed pro sponso funus reperientes, ad sepulchrum id comitati sunt. Secundo, quantum putas tempus vitæ, si quæ mortis potius sunt, demas ? Infantia et pueritia hominis vita non censetur, sed verius avicularum est ; præterea somnus tertiam vitæ nostræ partem adimit, qui et ipse frater mortis a poetis non immerito vocatur ; denique senectus, curæ, angustia et miseriæ, quæ mortem optabiliorem tali vita faciunt, nonne in plerisque mediam partem obtinent ? Ex quibus fit ut qui septuaginta annos vivit, vix viginti computare pro vita possit. Tertio, si cum æternitate vitam hanc comparemus, ea vix una dies apparebit ; et vere vita nostra cum vita illius piscis, qui *dies* dicitur, (eo quod unum tantum diem vivat teste Alberto M. l. XXIV. animal.) comparari potest. Ut enim nos nihili æstimamus diem unum, sed levissima de causa perdimus, quem tamen illi pisces maximi faciunt, cum sit totius vitæ illorum cursus : ita et respectu æternitatis vita nostra nihil est, quam tamen nos longam reputamus. Philosophus quidam rogatus, quid esset vita hominis, semel in orbem se convertit et abiit : innuens, esse celerrimam quamdam conversionem veluti unam cæli girationem, seu unam diem. Tametsi enim cæli ambitus immensus apparet, unico tamen die cursum suum perficit : sic homo suam vitam. Similiter alius quidam philosophus

de eadem re interrogatus, cum parumper se conspicuum ostendisset, mox se abscondit: indicans per hoc momentaneam esse vitam hominis, et quod dicit Dominus: *Modicum et non videbitis me.* Rudolphus Agricola l. 1. c. XXIV. de inventione. Denique quia licet diutissime vivas, et fruaris mundi bonis, non conceditur tibi plus quam una dies, imo tantum unum nunc tuæ consolationis: crastinum enim nondum habes, hesternum multo minus, quia jam habuisti; de hodierno plus non habes, quam unicum semper instans; et perinde est ac si possideas ingentem thesaurum, inde tamen plus non detur tibi, quam in singulas horas unus obolus, nec unquam eo simul frui possis. Quis tunc diceret te opulentum et non magis pauperem? Unde S. Chrysost. hom. I. in Gen. ait: «Talia sunt humana et carnalia: nondum recte advenrunt et avolarunt.» Jam igitur si hospes tantum unius diei in mundo es, quid ergo momentanea æternis bonis præfers? Illa tam sollicitè, hæc vero tam neglectim quæris? Si hospes unius diei es, quid ergo pro brevissima voluptate æternas tibi mercaris pœnas? Si hospes unius diei es, cur tam impatiens es in ferenda cruce tua? Si hospes unius diei es, cur non uteris tam brevi tempore ad salutem tuam, modo quo potes optimo?

III. Tu quis es? Respondet Isaias c. XL. *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Quid fragilius fœno? Quid imbecillius flore? In æstu languent, in pruina extinguuntur.* Amœnissima res est pratium viride, pulcherrima res est flos; sed ideo parvi fit, quia subito exarescit, ubi manibus tractaris. Unde mox subdit Isaias: *Exsiccatum est fœnum et occidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo.* Sed parum dixit Isaias: fragilior est vita hominis ipso etiam flore, aut quacumque alia re. Fragile est vitrum, sed sedulo asservatum durare in sæcula potest: homo quantumcumque servetur, durare nequit. Fragile est vas fictile, sed tactu solo non comminuitur; homo autem uno venenato tactu, uno felis aut serpentis morsu perimitur. Fragilis est flos, sed flatu solo non extinguitur; homo autem uno pestilenti halitu afflatus interit, uno solis æstu. Fragilis est bulla, solo autem aspectu non dissolvitur; homo vero si a venenato aspicitur oculo, illico languere incipit, et quandoque moritur. Pestilens odor, infectus aer, sol ferventior, hiems acrior, terror, etc. sæpe nobis vitam eripiunt. Si quæras, cur hic vel ille obierit respondetur: ex haustu aquæ frigidæ, ex æstu, ex terrore, ex nimio vino, ex dolore, etc. Quis Lucium Cassium summum illum oratorem interfecit? Respondebit Cicero, eum quadam die, dum paulo vehementius peroraret incaluisse, inde paulo post consumptum esse. Quis Baldum

illum jurisconsultissimum? Catellus ejus Melitensis, dum cum eo luderet: refert Matthiolus in Dioscoride. Quis Luciam M. Aurelii. imp. sororem? Proprius filius lactens, manu sua acum pectori matris infigans, dum mater ei blanditur. Testatur ipse Aurelius imp. apud Mondogn. in ejus vita l. III. c. XVII. Quis Drusum Pompeii, Claudii Cæsaris filium? Pirum unum, dum id in sublime jactatum ludens ore exciperet, eo enim fauces intercludente periit. Fulgos. l. IX. Quis Tarquinium Priscum? Os piscis transversum in gutture hærens. Ibid. Quis Fabium prætorem, qui Deo se æquare nonnunquam contendit? Pilus unus in lacte haustus. Ibid. Quis potentissimum Alexandrum Magnum? Pauca veneni guttulæ, potioni ejus admixtæ, teste Q. Curtio l. X. de rebus Alexandri. Denique quid levius morsu felis? Et memini tamen Romæ me vidisse in templo S. Mariæ de populo, hoc in lapide sepulchrali epitaphium: Hospes, disce novum mortis genus, improba felis, dum trahitur, digitum mordet; et intereo. Alius acini granum glutienis præfocatus est. Neque defuit cui stitira gelu durata, delapsa tecto subitum attulerit exitium. Neque est quod hæc adeo miremur, vel peregrina esse putemus; siquidem plurima sunt in homine corruptioni obnoxia, a quibus vita hominis pendet. Cur toties sistunt et impediuntur horologia? Quia plurimas rotulas habent, quarum vel una tardante, impediuntur omnes. Quod si ferreis hoc contingit horologiis, quanto facilius humano corpori luteo? Jam igitur, si fœnum, o homo, et flos es, cur ergo tibi non mature provides, antequam mors te demetat? Cur tamdiu in sceleribus tuis dormis? Cur differs pœnitentiam? Quid enim faceres, si casu super glaciem Danubiistans, dissoluta repente glacie, cum eadem rapereris in altum fluvii, annon mox clamares et subsidium naviculæ peteres? Nullum sane dubium, quia mortem undique circum te videres, nec palmo ab ea abesses: nullus ibi risus, nullus cantus tibi placeret. Cur ergo non similiter navim pœnitentiæ semper ad manum geris, et saltem mox requiris, qui te in carne fragilissima quotidie ad mortem rapi vides, nec plus inter te et mortem interesse, quam glaciem?

IV. Tu quis es? *Folium, quod vento rapitur,* inquit S. Job. c. XIII. quasi dicat, incertæ et dubiæ vitæ. Ut enim folium in arbore semper tremat, ac quodammodo trepidat, tandemque cadit vel abripitur, aliud citius, aliud serius; ita hominis vita semper nutat fluctuatque, tandemque insperato tempore vel abrumpitur violenter, vel sponte concidit. Unde Sapiens Eccles. IX. ait: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore*

malo, cum eis extemplo supervenerit. Atque ideo sapiens quidam alius dixit: Homo bulla est. Quid enim bullæ, nisi tumores illi inanes, qui visuntur in aquis, momento temporis enascentes et evanescentes? Harum aliæ simul atque natæ sunt, protinus extinguuntur: aliæ paulo diutius durant, omnes brevissimis quibusdam intervallis, aliæ succedunt aliis. Ita prorsus ex hominibus alii in utero materno pereunt, alii in infantia, alii in pueritia, alii in adolescentia vel virili ætate, alii in senectute. Deinde alii sani subito pereunt, alii apoplexia, alii casu, ut submersione vel vi aliunde illata, uti gladio, sclopo, lapide; alii morbo brevi, alii diuturno. Cum ergo vitæ nostræ terminus adeo sit incertus, quæ temeritas, quæso, quod tam negligenter vivimus, verborum Christi oblit: *Vigilate quia nescitis diem neque horam?* Matth. XXIV. Cur enim in castellis et munitionibus perpetuæ aguntur excubiæ, nisi quia præsidarios latet, quando hostis sit venturus? Si enim istud scirent, tunc sane medio illo tempore somno et quieti vacarent. Cum ergo anima nostra pretiosior sit omnibus mundi arcibus et urbibus, eaque perpetuum hostem sibi insidiantem habeat, et insuper nesciamus, quando cum eo nobis pugnandum sit, cur non omni die ac hora semper in excubiis stamus?

V. Tu quis es? *Umbra fugiens,* teste B. Job c. XIV. *Homo quasi flos egreditur,* inquit, *et fugit velut umbra.* Ut enim umbra modo magna, modo mediocris, modo parva et nulla est: ita homo semper alius: modo sanus, modo æger, modo hilaris, modo tristis: nunc quietus, nunc perturbatus, nunc dubius, nunc certus, nunc timidus, nunc audax; modo ridet, modo flet, modo vult, modo non vult. Ut umbra ante prandium ad dexteram cadit, stanti versus meridiem; post prandium ad sinistram: ita homo, qui hodie mane bonus est, forte post prandium malus sit, et a sinistris Dei stabit. Ut umbra recedentem a sole præcedit, accedentem sequitur; ita homo in hoc mundo modo exaltatur et alios præcedit: modo deprimitur et alios sequitur.

Hinc olim apud Romanos triumphantibus in curru triumphali appendebatur virga et tintinnabulum, clamante retro præcone: «Respice post te, hominem memento te;» quo moneretur triumphans, fieri posse, ut ipse ex hoc summo honore dejectus, reus mortis fiat, adeoque flagris cadatur, et capite damnetur, ni attendat sibi. Auctor antiquit. Rom. l. X. c. XXIX. Huc pertinet, quod poetæ fingunt, mortales omnes a Parcarum filis pendere, quibus incisis protinus decidunt. Atque alios quidem a grandibus, alios a pusillis suspendi filis; rursum alios in sublime sublato pendere, alios terræ vicinos, eundemque hominem fusi instar nunc in altum efferri,

mox paulatim deprimi et terram versus rotari: omnium denique hanc eandem esse sortem, ut simul atque inexorabilis Atropos pollice filum secuerit, illico decidat is, qui pendebat, nec ullum esse discrimen, nisi quod majore tumultu decidat, qui pendebat altius. Hanc hominum mutabilitatem et inconstantiam non ii tantum experti sunt, qui mundo servierunt, sed etiam Salvator noster, qui mundi contemptor fuit. Hic enim quo die Jerosolymam triumphans cum maximo populi gaudio et applausu ingressus est, eodem ab omnibus sub vesperam derelictus est. Prius obviam ei processerant cum ramis virentibus: quatrduo vero post aridis ramis percusserunt ejus caput. Prius vestimenta sua exuerunt, ut sternerent in via, postea eum vestibus propriis spoliarunt, ut flagellarent et crucifigerent. Prius clamabant: *Benedictus qui venit in nomine Domini:* paulo post acclamarunt Pilato: *Reus est mortis: Crucifige eum.*

VI. *Est universa vanitas,* ut testatur David, Psal. XXXVIII. *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.* Vanitatem vocat hominem non vanum, quia est mera et summa vanitas. Omnis autem vanitas homo est, quia quidquid vanitatis et defectus invenitur in creaturis aliis, id totum in hominem cadit. Quid habent imperfectionis corpora inanimata? Quod dividuntur, alliduntur, conteruntur. Quid viventia seu plantæ? Quod accrescunt et decrescunt, sordes contrahunt et expellunt, exsiccantur, moriuntur. Quid sentientia seu bruta? Dolores, plagas, timores, contentiones, rixas, famem, sitim, laborem. Quid creatura rationalis et angeli? Mutabilitatem, errores, deceptiones, peccata et penam eis debitam. Totum hoc in hominem cadit. Cum lapidibus, metallis, elementis obnoxius est injuriis cœli et elementorum, dividitur, conteritur, corrumpitur. Cum viventibus subjacet accretioni et decretioni, nutritioni et corruptioni. Sordibus scatet, sordes egerit ex oculis, naribus, ore, alvo. Cum sentientibus sentit dolores, angustias, timores, famescit, sitit, litigat, et bella gerit. Cum angelis mutatur, errat, peccat, pœnis addicitur. Multas miserias habent angeli secundum suam naturam, quarum capaces non sunt bestię, plantæ, elementa. Multas item habent ista omnia, quarum non sunt capaces angeli: homo omnium capax est. Iste enim occiditur ob peccatum, ille ob desperationem; iste præ tristitia, ille præ nimia lætitia; iste fame, ille ingluvie; iste fugiens pericula, ille insequens dignitates; iste in bello, ille in somno; iste frigore, ille æstu; iste comedens, ille egerens; iste alliditur, ille scinditur vel conteritur. Neque tantum unus aut alter homo, sed omnis homo ejusmodi vanitas est. Vanitas est, o princeps et nobilis, qui te firmiter stare existimas;

satellitibus et servis cinctus. Vanitas es, o dives, qui divitiis tuis confisus, omnia te posse credis. Vanitas, o mulier, quæ gratia vultus tui dominari te regi putas. « Si autem omnis homo stans et vivens est universa vanitas : quid, inquit S. Hieronymus, homo cadens, moriens et mortuus ? »

CONCIO II.

DE IIS QUÆ POST MORTEM HOMINI CIRCA CORPUS EVENIUNT.

I. Mortuus quid in domo ? — II. Quid in fanere ? — III. Quid in sepulchro ? — IV. Quid in mausoleo ? — V. Quid in ossium cumulo ?

THEMA.

Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini. Joan. I.

Quemadmodum Christus ante primum suum adventum in mundum, voluit præmittere præcursorem suum Joannem, qui mundum innumeris vitiiis irretitum disponeret ad recipiendum Salvatorem, a blueret a vitiiis, et prædicaret ei pœnitentiam : ita ante secundum adventum suum in iudicio universali præmittet præcursores Henoeh et Eliam. Sed numquid etiam ante suum adventum, qui in iudicio cujusque particulari fiet, præmittit præcursorem aliquem qui viam Domino præparet, et homines ad recipiendum venturum iudicem disponat ? Imo vero etiam. Et quis est hic præcursor ? Mors, quæ iudicium id præcedit. Ut enim Baptistæ dictum ab ejus patre : *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus* : ita de morte dicit Habacuc c. III. *ante faciem ejus* (Dei videlicet) *ibit mors*. Magnus præcursor Joannes : magnus etiam præcursor mors. Magnus prædicator Joannes : magnus item prædicator mors : vox clamantis Joannes, vox clamantis mors. Clamabat Joannes : *Dirigite viam Domini* ; clamabat hoc idem mors. Clamabat Joannes non voce tantum, sed victu et vestitu, quia locustas edebat, et pilis camelorum induebatur : clamabat eodem modo mors, quia et vermibus pascitur, et non nisi ossibus, vel ad summum uno linteo vestitur. Clamabat Joannes in deserto, clamabat mors in sepulchro. Baptizabat Joannes dum ad se venientes aqua mergebat : baptizabat etiam mors, quia venientes ad se terra operit. Clamabat Joannes : *Veniet fortior me post me, cujus ventilabrum in manu ejus et purgabit aream suam et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili* : clamabat hoc et mors. Terruit multos Joannes sua prædicatione, ut venirent et confiterentur peccata sua. Terret multos et mors, ut peccatorum onere, adeoque veteri homine deposito, novum induant, quo secure ad Deum iudicem hinc discedant : id quod

experientia quotidiana docet. Veniat enim mors in domum aliquam, o quam omnia silent ! O quam omnia lugent ! O quam curritur ad sacerdotem pro confessione et viatico ! Magnus itaque præcursor Joannes : magnus etiam præcursor mors. Atque utinam præcursoris utriusque vocem audiremus ! O quam bene parati non modo ad festa ventura, sed etiam ad iudicem nostrum veniremus ! Præcursorem Joannem jam hoc adventu intonantem audivimus : audivimus etiam ex parte mortem : sed nondum omnino audivimus. Prima concione deduximus hominem per viam asperam usque ad mortem : secunda, ejus animam per viam periculosam usque ad iudicium, restat ut hodie deducamus corpus, per viam lugubrem usque ad sepulchrum.

I. Clamat defunctus adhuc in domo jacens : et quid clamat ? Vide cui fidas : nimirum fidem non habendam diabolo, carni et propinquis. Diabolo, quia is persuadebat initio nobis nequaquam morituros, si comederemus de ligno vitæ ; sed fore sicut deos : et adhuc nobis persuadere non cessat, saltem non morituros tam brevi, florente ætate, etc. *O plene omni dolo*, quid sibi vult cadaver istud ? Hocce non est mori ? Ubi in eo sensus, ubi motus, ubi loquela, ubi color vividus, ubi vitæ functiones ? Hocce non est mori ? Sane quando Adam primum hominis cadaver intuitus est, quid putatis eum cogitasse ? Puto ego cogitasse : O nequam, ubi est illud tuum *Nequaquam*, de quo mihi dicebas : *Nequaquam moriemini, sed in quacumque hora comederitis, eritis sicut dii, scientes bonum et malum* ? Itane sicut dii sunt, qui ne sicut homines quidem amplius sunt ? Imo ne sicut bestia ? Itane sciunt bonum et malum, qui sensum et loquelam omnem perdiderunt ? Itane aperiuntur oculi, cum clauduntur nunquam aperiendi ? Paulo ante hoc corpus cantabat, saltabat, ludebat, epulabatur, unguentis se et serico ornat, nunc uti truncus jacet. Et verius dicere tunc defunctus potest : *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis*. Psal. XXI. Ecce quomodo homo, unus ex diis factus est ! O quam vani sunt igitur qui dæmoni fidunt ! Itaque recte in confusionem hujus deceptoris et nostram, qui illi credidimus, toties in libro Genesis ingeminatur illud : *Et mortuus est* ; ut ita nobis ostendatur, qualis deceptor sit diabolus, et quam stulti, qui ei fidunt. Et hoc ipsum nonne quotidie nobis inculcatur, dum videmus in dies mori homines, etiam qui sibi longos promittebant dies. Nonne dicimus : Et hic vir mortuus est, et ille juvenis mortuus, etc. Et tamen ita vivimus, quasi nequaquam essemus morituri. Facit hominibus dæmon, quod carnifex reum occisurus, qui ju-

bet eum esse securum, et recitare Pater Noster, loqui cum sacerdote ; interim cum ille vix medium absolvit, caput ei amputat. Sic suadet dæmon : Nondum morieris, esto bono animo ; interim ferit hominem mortis ictu.

Secundo, etiam clamat, ut ne fidamus carni quæ in vita adeo blanditur, seque tam speciosam monstrat, et meretricio cultu adornat, cum intus plena sit fœtore et putredine. Nam idipsum corpus, quod paulo ante sua pulchritudine spectantium ad se oculos rapiebat, plurimos alliciebat procos et certamina amoris excitabat ; vide nunc quam sit deforme, fœtidum et exosum. Hoc est illud corpus, quod olim cantilenis celebrabatur, cujus oculi pro gemmis, genæ pro rosis, os pro auro, capilli pro holoserico, vox pro melodia venditabatur. Et ubi nunc oculi illi ? Ubi genæ ? Ubi os, capilli, vox, membra delicata ? In pallorem, in fœtorem, in horrorem mutata sunt, nemo jam intueri vult : omnes occludunt nares, et festinanter transeunt ; velut si cadaver alicujus canis in via jacentis cernerent. Accede huc, juvenis, aspice et deosculare vultum amasiæ tuæ, vide quam amaveris ; veni huc, assentator, osculare manum domini tui, vide quem colueris. Sed tantum abest, ut jam diligatur ejusmodi corpus, ut potius odio sit et horrori ; et proinde defunctus verissime dicere possit : *Qui viderunt me foras, fugerunt a me*. Psal. XXX. O quam vani igitur qui carni serviunt ! Juxta lacum Asphaltitem ubi Sodoma exusta fuit, nata fuere poma, ad speciem quidem pulcherrima, intus tamen plena favilla et putredine, quæ ubi vel leviter atrectares, in cinerem et favillam resolvebantur, ut refert Tertul. vel Cyprian. in car. de Sodoma. Talia sunt speciosa corpora, quæ externa quidem sui specie omnium ad se rapiunt oculos : ubi vero morte tanguntur, et dividuntur in duas partes, corpus scilicet et animam, putidissima inveniuntur. Quod si jam tale pomum haberes, num quæso tu id dentibus, admordes ? Num edere auderes ? Nequaquam credo, forte nec in manibus gestares, sed in cloacam abjiceres. Et quid colis, quid amas, quid oscularis et amplecteris, dum impudico amore carnem oblectas ? etc. Pomum Sodomiticum colis, plenum cinere et fœtore : cadaver colis. Contemplantur igitur cadaver, et senties forte quod juvenis ille, qui cum ob oculorum pulchritudinem teneretur amore cujusdam sanctimonialis, illa insidias metuens, eruit sibi oculos et juveni transmisit, ut videret quid amaverit : quorum aspectu juvenis mox in alterum virum mutatus, amorem carnis cum religionis commutavit ingressu, ut scribit Sophron. in prato spirit. c. LX.

Tertio, etiam clamat quantum fidei sit haben-

dum propinquis, qui simul ac oculos clausuris relinquent te solum in cubiculo, uno tantum accenso lumine, et in potestate eorum, qui te sepulturæ tradent : vehementer etiam urgebunt, ut quamprimum e domo ejiciaris : interim jam de hæreditate cogitabunt, rebus tuis inhiant, et multa clanculum auferent : bona vero a te parta non cum gratiarum actione, sed quasi de jure sibi debita invadent, et pro iis altercabitur : et siquidem in testamento ad pias causas aliqua legaveris, tibi maledicent, et conabuntur omnibus modis ea suppressere et retinere : quod si bene de te meritis nihil legaveris, maledicent tibi et hi. Tandem unico linteo te donabunt, et ita deplumatum ad sepulchrum efferent : quemadmodum testatum voluit de se Saladinus princeps Ægyptius, cum moriens præcepit interulam suam circumferri in castris hastæ appensam : quo omnes inteligerent nihil ipsi ex tantis opibus reliquum fuisse, præter hanc interulam. Ut refert S. Antonius II. chron. lib. XVII. cap. IX. O quam vere hic posses dicere : *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium et vicinis meis valde et timor notis meis* ! Ps. XXX. Et quod dixit Dominus : *Inimici domus domesticus ejus* ! Matth. X. O quam cæci ergo sunt, qui tota pene vita sua liberis tantum et amicis provident, omnesque labores suos impendunt, animæ vero propriæ nihil ! Non dico malum esse, liberis prospicere, amicis benefacere ; sed malum et stultissimum esse, illis tantum et sibi non magis prospicere. O duri in vos parentes ! Interrogate jumenta : annon ipsa prius se pascunt, quam suos fœtus ? An non propriæ vitæ et salutis potius consulunt, quam pullorum ? Vidi quidem vulpeculam eripere conantem catulos suos ex ore canum undique circumcursantium ; sed ubi canes matrem arripere volebant, ipsa mox aufugit et catulos reliquit. Cur igitur vos corpori filiorum potius, quam animæ vestræ consulitis ?

II. Clamat in funere, dum effertur ad sepulchrum. Et quid hic ? O quam male remuneratur mundus ! Nimirum mundi pompam et obsequium damnat. Effertur enim aliis humeris, de propriis ædibus ; aliis cantantibus, aliis vero plorantibus, hoc est, aliis lætantibus de morte tua, aliis vero dolentibus, comitantibus notis et vicinis tuis (si tamen hæc tibi sors contingat, et non potius sepulturam asini sortiaris) qui tamen omnes simul ac depositus in sepulchrum fueris, memoriam tui deponent, et perpetua te oblivione sepelient, sepulchrum tuum nunquam forte revisuri : quorum multi postea de te male loquentur, et peccata tua propalabunt, quæ viventi obijcere non audebant. Atque ita verissime dicere tunc posses : *Oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde : factus sum tanquam*